










Collection (partly published here for the first time) of 5 treatises on the bathing places of the valley of Transcherio (near Bergamo) by Barth. Albanus, L. Zimalia, Guido Bergomas, Jo. Bapt. Suardus and A. Baccius.

«Comino (c'est-à-dire Giacomino) fils de Ventura Venturetti de Sabbio, qui se faisait appeler tout court Comino Ventura, travailla à Bergamo de 1578 jusqu'en 1617. Ses éditions sont très appréciées par leur corrections, par le choix du papier et par la variété et l'élégance des caractères.» (Fumagalli, Lexicon typographicum, p. 34.)

DE BALNEIS TRANSCHERII

Opidi Bergomatis,

QVAE EXTANT OMNIA.

Quorum aliqua nunc primum in lucem prodeunt; alia vero multo emendatiora, quam vnquam alias: adiectis vbique in margine varijs lectionibus, ex diligenti variorum Codicum etiam manuſcriptorum collatione.

Auctorum nomina ſequens pagella indicat.

DE SVPERIORVM LICENTIA.



BERGOMI.

ANNO CIↃ IↃ XXCII.

Typis Comini Venturæ eiuſdem Vrbis typographi.

De Balneis Transcherianis Scripta.

Bartholomæi Albani Bergomatis, quod antea sub Guilielmi Grataroli nomine circumferebatur.

Ludouici Zimaliæ, alias Zumaliæ Berg.

Guidonis Bergomatis.
Io. Baptistæ Suardi Berg. } *nunc primum in lucem edita.*
Andreæ Baccij Elpidiani.

INDEX EORVM
quæ in hiſce de Tranſcherianis Balneis Scriptis continentur.



A

B

INDEX.

E

F

G

H

I

INDEX.

FINIS.

AMPLISSIMO VIRO
SILVANO CAPELLO
PATRITIO VENETO,
Domino suo colendiss.



A OMNIA, quæ de Transcherij Balneis, siue aliorum typis excusa, siue manuscripta tantum, hactenus exstabant, præcipue vero, quæ ab hinc triennium post eorum recentem, tua singulari cura & prudentia, instaurationem, obseruata accedebant diuulgare constitueram. Verum, nescio quibus interpellantibus quo minus, quod cæperam consilij, præstare valerem; non sum tamen omnino passus operam meam in ijs saltem rebus, quæ ante postremam hanc instaurationem tum a veteribus, tum a recentioribus scriptis tradita fuere, desiderari. Consentaneum enim mihi visum est, communi commodo inseruire cupienti, cum, ut per me eorum vbique terrarum vires, & præconia cunctis innotescant ita, vt complures inde sibi salutem petant in morbis, & multis, et prope desperatis; tum etiam vt quamplurimi exiguo sumtu inuitentur ad libellum hunc emendum, qui facile ab emptione deterreantur, si pecuniæ plusculum in grandius volumen Venetijs impressum, in quo de Balneis fere omnibus

men=

mentio sit, insumendum esset. Quare si hæc tum doctis, tum bonis viris, in quorum gratiam edenda duxi, grata esse intellexero, ad alia facillime accingar de hac ipsa materia imprimenda. Quidquid autem huius generis a nobis edetur, tuo nomini nuncupandum, dicandumq; censuimus SILVANE Vir Clarißime, cum ne ingrati animi notam apud te subeamus, per quem instaurata, & reformata fuere, adeo, vt iure optimo ipsorum Balneorum, rerumq; omnium ad ipsa pertinentium Dominus vocitari sis meritus, & quia, quæ temporum iniuria iamdiu iacebant, magnificentius, quàm vnquam antea, erexeris, nobisq;, ac posteris in multorum salutem, vel alioquin desperatam restitueris: tum etiam ob singularem beneuolentiam, animiq; propensionem, candorem, & lenitatem in omnibus complectendis, quo tempore Ciuitati huic leges, atq; iudicia integerrimus Prætor administrasti. Huc accedit tuorum in me magnitudo meritorum tanta, vt cum tibi in perpetuum deuinctum me intelligam, ac debiturum, sic mihi patronum delegerim contra maleuolorum, detractorumq; calumnias, vt hoc tutus præsidio non dubitem tum opusculum hoc, tum alia in futurum emittenda ab inuidiæ dentibus non dilaceratum iri. Vale. Bergomi Kalendis Augusti. CIↃ IↃ XXCII.

Seruus humill.

Cominus Ventura typog.

BARTHOLOMAEI ALBANI BERGOMENSIS, COLLEGII OLIM MEDICI; DE BALNEIS VALLIS TRANSCHERII LIBELLVS,

Proprio Auctori nunc primum aſſertus.

Guilielmo hic Gratarolo adſcriptus in hactenus impreßis Codicibus legebatur, quibuſdam alicubi detractis; & alijs alibi mutatis, aut adiectis: quorum, quæ aptius inſeri potuerunt, ne hic deſiderarentur, diuerſo charactere impreſſa, & hemicyclis incluſa, in præſenti etiam editione exhibentur.

CAPVT. I.

Locus, & inſtauratio Balneorum.



Alnea Vallis Trãſcherij, a Ciuitate Bergomi per decẽ(*Italica*) miliaria diſtantia verſus Orientẽ, iam vetuſtate dilapſa, (*poſtea*) per Sereniſsimi Dominij Venetorum Illuſtr. Capitaneum Generalem, potentemque Dominum, Dominum Bartholomæum Coleonum de Andegauia, Magnificumq; ac generoſum Ciuem Bergomi, in longe meliorem, ſublimioremq; formam redacta ſunt, Anno Do

mini septuagesimo, supra millesimum, & quadringentesimum. *(quamuis etiam hæredum incuria, uel negligentia rursus pæne diruta sint. quæ tamen non multa impensa restitui egregie poterunt. atque interim illorum non inutilis, nec infrequens est vsus.)*

CAPVT. II.

De condicionibus Aquæ Balneorum.

AQua *illa* actu frigida est, *(quia non parũ longe educitur ab ei⁹ calida minera,)* & *(substãtia)* clara, *reperta de subterra plusquam per brachia decẽ. ascenditq; per puteũ fabricatum summa cũ diligentia, ne alia, *(illi vicina dulcis)* Aqua *(præterfluens)* ei admisceatur: neque mali est saporis: transitque, ad quattuor loca Balneorum separata, *(modo aptentur, ut futurum spero,)* & arte calida, prout oportet. in quolibetq; eorum Gutta apte recipi potest, vbi opus est.

* reptens

CAPVT. III.

De Minera.

MInera Aquæ est sulphurea satis: nam a longe odor sulphuris percipitur: et si argentũ in ea ponitur subito in colorẽ rubeum, *(seu cro-*

ceum) uertitur. est etiam nitrosa, seu baurachia, *& salsa*; nam aues, & animalia quadrupeda concurrunt ad eius potum, maxime tempore ueris, propter salsedinem. († *nitrum quoq; super lapides quos lambit Aqua reperitur*.) siq; diu bullierit, cõsumtis tribus partibus Aquę, prę nimia salsedine minime in ore teneri potest. & (*præsertim*) merito nitrositatis fit solutiua: (*ut experientia quotidiana demonstrat*.) Declaratur etiam ex effectibus, & operationibus eius. in codicibus enim Medicinę determinatur de effectibus, & operationibus cuiusq; Minerę, maxime a D. Auicenna Libro primo, Fen secũda, Doctrina secunda, Cap. decimonono, Summæ primę. ibidem enim declarat operationes, quæ consequuntur ex usu Aquę sulphureę, & nitrosę, cuiusmodi hæc est, ut experientia quotidiana peroptime demonstrat.

† Ex Zimalia.

CAPVT. IV.

De viribus Aquæ.

DE virtutibus Aquę dicetur, notando quòd hæc Aqua in corpore humano quinque modis operatur, videlicet: eius potu, balneatione, receptione guttæ (*seu duciæ*,) in varijs mẽbris uti oportet, clysterizatione, & linitione luti

ubi oportet. Aqua iſta mirabilis eſt uirtutis, uti quotidiana(*pæne*) experientia docet. ualet enim ad plures infirmitates, quam ualeat Aqua Porretana, (*quas famoſa illa Aqua curare non ualet*,) ut infra (*dicetur*:) neq; eſt tanti (*ut illa*) timoris & periculi in eius * uſu, & vitę obſeruationis negligentia. Vſus huius Aquę († *modo inferius narrando*, *ualet omnibus ægritudinibus frigidis*, *phlegmaticis*, *ac melancholicis*.) curat (*ſiquidem*) dolorem capitis etiam antiquum, ſiue per eſſentiam, (*ut uocāt*;) ſeu per colligantiam, (*& conſenſum*) aliorum membrorum, maxime ſtomachi, & matricis. Humiditates capitis ſuperfluas exſiccat: cerebrumq; debilitatum confortat. Paralyſi, ſpaſmo, ſeu tetano, tremori mēbrorum, neruorumq; debilitati, ualde confert. Oculorum defectui (*ualde*) ſubuenit. Tinnitum, & ſibilum aurium, & ſurditatem nō antiquam curat: antiquæ uero non parum prodeſt. Stricturā narium, ſeu coryzam ex catarrho curat: ac catarrho cuiuſq; condicionis ualde prodeſt. Debiliter olfacientibus ſubuenit: & narium fœtorē curat. Humiditates linguæ, (*ac reſolutionem*,) conſumit. raucedinem uocis ex humiditatibus clarificat. vuulam prolongatam, (*& laxatam columellā*) reducit. (*Aphthas*, *ſeu*) alcola, ulcera oris

* uſus.

† *Ex Zimalia.*

& gingiuarum curat: orisq; fœtorem remouet. Difficultati anhelitus, & asthmati ualde confert, & curat, si non sint antiquata. tussim curat, si nō ex phthisi est, aut *vulnere pulmonis. Debilitati stomachi mire subuenit. appetitum perditum recuperat. sitim extinguit. vomitum curat: ipsumque stomachum ab omnibus superfluis humoribus, & a comestis, quæ digeri non possunt, (*seu inconcoctis*) purgat. duritiem stomachi, & splenis tollit. Oppilationes hepatis, stomachi, splenis, mesaraicarum, & aliorum membrorum tollit. curat etiam icteritiam (*utramque*,) hepaticam, & spleneticam: ad oppilatosq;, (*& cachecticos*) summa est medicina; & ad (*ascíticos*) hydropicos: clarumq; ac bonum colorem efficit, (*& restituit*.) Intestina mundificat, & purgat a superfluitatibus quibuscumque: & vermes expellit; & alia animalia quacumque de caussa in eis exsistentia, (*& quæcumque alia præter naturam contenta*.) Quare dolorem colicum, & iliacum curat: dolorem renalem tollit, & iliorum: arenam ex renibus excludit: renesque mundificat: & eorum debilitati confert. Vesicam mundat: & lapidem in ea non confirmatum rumpit, & expellit. ardorem vrinæ curat magnifice: & frequē

*ulcere.

tem

tem mictum tollit. non valentibus etiam vrinā retinere, (*& stranguriæ*) subuenit. nam mirabiles effectus, in passionibus renum, & vesicæ operatur; & in breui tempore, cuiuscumq; ætatis, & condicionis exsistant, vti longo tempore expertus sum, & præsertim a duobus mensibus citra. Matricem purgat: fluxum materierum albarum curat: oppilatas matrices deoppilat; & mulieres ad conceptum præparat mirabiliter. Dolori dorsi, ancharum, sciaticę, (*coxendicumúe,*) podagrę, ac chiragrę confert ualde. Non ualentibus se mouere propter neruorū debilitatem, etiam ex vulneribus, & contusionibus, (*ac sideratis*) mire opitulatur. (*in vniuersumq; neruorum imbecillitati subuenit.*) Tineam curat, (*phthiriasim,*) asaphati, & pustulas corporis (*totius,*) scabiem, pruritum, impetiginem, serpiginem, vlcera maligna, & crura marcida, (*saniosa,*) & inflata, (*tumescentiaq;.*) quamplures insuper leprosos curauit, & de præsenti curat. Debiles fortificat. Extenuatos, & macilentos impinguat. Febribusq; antiquis, & humoralibus, (*seu putridis*) subuenit cum Dei auxilio.

C A-

CAPVT. V.

De modo obseruando.

ANtequam quis se transferat ad Balnea, (*& Balneis vtatur,*) debet esse purgatus, iuxta consilium experti Doctoris Medicinę, (*& periti Medici.*) nam Aqua citius penetrat, & operatur in breuiori tempore. & ea die, qua applicuerit ad Balnea, (*ob laßitudinem, non intret Balneum, nec bibat Aquam, sed*) quiescat.

CAPVT. VI.

De tempore.

COnueniens tempus se transferendi ad ea, & eis vtendi, est tempus calidum & siccum: & quanto calidius & siccius, tanto melius, quocumque tempore anni. quare in diebus canicularibus, videlicet a die decima iulij ad vicesimam augusti, si tempus est siccum, optime operatur.

CAPVT. VII.

De modo iterum.

MOdus obseruandus postquam applicuerit. Mane sequenti, si tempus fuerit clarū,

in Dei Nomine, in ortu Solis intret Balneũ ſuauiter calidum, in quo moretur donec delectat. communis *(vero)* mora eſt circa horam *(vnam:)* poſtea quando placet, exeat; & bene exſiccetur pannis calidis; & intret lectum bene coopertus pãnis *(calidis,)* ne ſentiat frigus; & ibi moretur donec ſudauerit, non dormiendo; & iterũ exſiccetur cum pannis calidis; & parũ quieſcat: deinde ſurgat; & prandeat mediocriter: ſed non exponat ſe aeri, donec tranſactę ſint duæ horæ. interim vacet lectioni; aut *(honeſto, nec ſerio)* ludo; aut confabulationi iocoſę, donec venerit hora cenę. & non dormiat, niſi per horas duas poſt. Mane ſequenti in ortu Solis incipiat bibere Aquã quantum poteſt, abſq; *(tamen)* uiolentia: deinde ambulet ꝑ loca amœna ſuauiter. & poſt quã perceperit deſcenſum Aquę de ſtomacho, iterum bibat vt prius: deinde ambulet; & tertio bibat, ut ſupra: conſideretq́;, quot cyathos biberit; & quot minget; & quot per anum emittet, aut per uomitum. & ſi ipſam emiſerit, & non ſentiat *(ex ea)* corpus graue, prandeat comedendo panem infuſum in brodio, infraſcriptarum carnium, *(conuenienti,)* aut panatam in eo factam. & bibat vnum cyathum, aut medium vini. cenet autem mediocriter comedendo

dendo etiam de infrascriptis carnibus. Et si non haberet beneficium ventris ante collationẽ, seu prādium, recipiat clystere tepidum ex Aqua Balnei cum oleo oliuę, sale, & melle violato, aut puluere zuccari (*rubei.*) Si uero nõ emitteret Aquā, intret Balneum vt primo; & fiat, ut supra: deinde sumat panem in brodio, ut supra. altero vero mane, si est fortis, iterum bibat Aquam, ut pri⁹: & potest etiam in vesperis intrare Balneum (*duabus horis ante cenam.*) & si est debilis, non bibat; sed balneet: & talis (*debilis*) uno die bibat, & altero non bibat; sed intret Balneum. & si est valde debilis quiescat per diem (*unam,*) aut plures, prout placuerit: deinde vtatur. († *in bibendo autem perseueret, quousq; uiderit Aquam claram exire, ut eam biberit. nam tum perfectam denotat purgationem: & communiter erit usq; ad viginti dies, bibendo tamen alternatis diebus, die intermedio Balneum intrando.*) † *Ex Zimal.*

CAPVT VIII.

De Gutta, & Luto.

PAtientes autem catarrhum, aut dolorem in aliqua parte corporis, aut debilitatem, postquàm biberint quinque aut sex diebus, inci

piant recipere Guttam; aut ponere Lutũ in partibus læsis; & non ante. & quotidie sic facient, & Lutũ permittant exsiccari in dictis membris, ubi positum fuerit: deinde lauent, donec sanitati restituti sint. Et qui Guttam volunt recipere super caput; aut Lutum ponere, prius dicta (*cum*) Aqua abrasi sint. †*Si sumant super uerticem, extendant se supine; si verò super occiput, super ventrem iaceant, & Guttam cadere faciant super locum læsum, ad minus per dimidium horæ. cum accipiunt in occipite, vngantur prius nares, & frons oleo rosaceo; aut epithemetur aqua rosacea, ad repercutiendum illuc materiam fluentem. si sint fortis virtutis, possunt sumere per horam bis in die, scilicet mane, & vesperi ante cenam horis duabus, continuando per decem, vel duodecim dies, prout opus fuerit. post autem Guttæ assumtionem quiescant per horam in loco temperato: euitentq; frigus, & ventum. Et quia Lutum non minoris est virtutis, àqum Aqua, declarabo fusius, illo vtendi modũ. Accipiatur de pinguiori Luto, et antiquiori, quod cognoscitur ex lenitate, mollitieq;: & exponat se infirmus Soli cum membro ægrotante discooperto; ac superextẽdat Lutum mediocriter: & dimittatur in Sole exsiccari desuper. tũ habeat Aquam Balnei calidam, qua membrum lauetur, donec totum Lutum deciderit: postea Lutũ renouet super membrũ. ac sic faciat ad minus quater in die, ita perseuerando vsquequo se liberatum senserit. euitet tamen ne interim Solis calor corporis residuum excalefaciat multum, ac inflammet, quod vlterioris mali caußa esse posset.)*

†Ex Zimal.

CAPVT IX.

De regimine uitæ. de Aere primo.

A Vento se præcaueant, a pluuia, & a mora sub radijs Lunę.(*Aer ad siccitatem declinet.*) uitent etiam frigus, & Aerem caliginosum, *(aut nebulosum.)* quare habeant vestes opportunas, & pallia. Aquam pręterea aliam non tangāt (*frigidam.*)

CAPVT X.

De Cibis, & Potibus.

VTantur pane bono frumenti, (*probe confe-cti*) carnibus pullorum iuuenum, hædi, castrati unius anni vel circa, vituli a lacte, perdicum, & auicularum in arboribus, & in pratis uiuentium: & sint elixę. & melius est vt in Aqua Balnei decoquantur. vtantur(*insuper natante pane*, *seu*) panata, brodeto, & pane in brodio, ac farre aliquando, ac ouis recentibus sorbilibus. Vinum autem sit album, *(aut citrinum,)* aut cisolum, seu pauci coloris, & leue. & si est potēs, misceatur(*cum*) Aqua Balnei, aut Aqua simplici cocta. meli⁹ tamē est vinum leue, (*oligophoron,*) absq; Aqua. De hora sumendi cibum, dictum est. De q̃titate. Parce & minus solito comedāt.

CAPVT XI.

De Somno, & Vigilia, reliquisq; rebus non naturalibus.

DOrmiant, transactis duabus horis post cenam, tota nocte usque ad ortum Solis; ab ortu Solis usque ad noctē vigilent († *dormiantq; in locis eleuatis, non a terra suffocatis, nec humidis, aut frigidis.*) De motu & quiete. Leuiter deambulent ante cibum, non supercalefaciendo se. alijs possunt quiescere horis. (*post cibum quiescant.*) De beneficio corporis. Procurent id habere omni die. & si ex se nō * mouetur (*aluus omni die,*) vtātur clysteribus ex Aqua Balnei cum oleo oliuæ, sale, melle violato, aut puluere zuccari, (*vt supradictum est,*) tepidis: († *aut potent aquam carnis ante cibum.*) De accidentibus animę. Gaudeant, & lętentur, uitentq; irā, animi perturbationem, & graues mentis cogitationes. Insuper a coitu abstineant.

† Ex Zimal.

* mouentur

† Ex Zimal.

CAPVT XII.

De recessu à Balneis.

VIdendum est postremo de tempore recedē di ab eis; & ordine obseruando post recessum.

sum. (*Tempus recedendi, atq; ordo à recessu seruandus is est.*) Quando emittent Aquam claram, uti bibent, per urinam, & per anū, duobus diebus successiuis, erit signum bonę, & sufficientis purgationis. quare amplius non bibant. Balneum tamen intrare possunt; & Guttam recipere; ac Luto liniri ad placitum. Quando vero recedent, hortor, & consulo, ut per dies quadraginta, aut triginta ad minus, ordinem suprascriptum uiuendi obseruēt. quia si sic fecerint, in dies fient ualidiores, & securi ne recidant. Vsq; ad prędictum tempus nō tangent Aquam aliquam, nec pro lotione manuum, nec faciei, nec crurum; immo a pluuia se pręcaueant. si Aquam Balnei non habebūt, utātur uino albo, aut pauci coloris (*alterius, paucifero,*) pro lotione. Pręterea caueant ne in recessu supercalefiāt. quare leuiter deambulent, & parum in die, pedestres: equestres vero suauiter equitent, non itinerando multum. sufficiat eis in die itinerare per miliaria quindecim, (*Italica, aut circiter.*) Non debent inter prandium, & cenam comedere, aut bibere: potius tempestiue cenent. Si uero non habebūt beneficium corporis omni die, recipiant suppositorium ex melle, aut betę radice; aut, quod melius, clystere cum brodio

su-

ſupra ſcriptarum carnium, oleo oliuę, ſale, melle violaceo, aut puluere zuccari. & inſuper quando erunt domi, ab vxoribus ſuis pręcaueant. & cum Dei auxilio conualeſcent ex ſuis infirmitatibus, ad laudem illius, qui viuit & regnat trin⁹, & vnus, per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Et ſic eſt finis huius Opuſculi Anno ſupraſcripto, ſcilicet, milleſimo, quadringenteſimo, & ſeptuageſimo, de mẽſe Iulij die viceſimo ſeptimo, per Excell. Artium, & Medicinę Doctorem Dominum Magiſtrum Bartholomæum de Albano.

Ex vetuſtiſſimo Exemplari manu ſcripto, inuento in Bibliotheca Fratrum Dominicanorum: Quod etiam in Italicam linguam verſum, ſub eiuſdem Auctoris Bartholomæi ſcilicet Albani nomine, in ædibus Bartholomæi Coleoni, Pietati dicatis, ab anno 1524. uſque ad hęc tempora ſeruatur.

Barthol. Alb. Finis.

DESCRIPTIO BALNEORVM VALLIS TRANSCHERII

Ludouici Zimalię Bergomensis Medici.

Ad Ill. D. Bartholomæum Coleonum Bergomatem Capitaneum Generalem Exercitus Illustriss. ac Sereniss. Duc. Dominij Venet.

EXORDIVM.



Ihil perinde Reges ac Principes decet BARTHOLOMAEE Inuictissime, ac de hominum genere bene mereri, quod tum vel pręcipue faciunt, cum præclara illa dona, quę Deus ac natura ad vtilitatem mortalium terris indulsit, diligenter exquirunt: inuenta, in vsus hominum proferũt: & animi sui magnitudinem, ac munificentiam in ijs, quæ inuenerunt, dirigendis, ac conseruandis, & si fieri potest augendis, ostendunt. Id Tu cum pro singulari quadam sagacis ingenij bonitate intelligeres, iam inde ab ineunte ętate ad hoc animum

ma-

maxime appulisti, ut omnibus quidem, sed Patriç tuç in primis prodesse posses. itaque cũ omni genere virtutum animum iam excoluisses, & parentibus, ac maioribus tuis, quorum nobilitas, ac uitæ integritas, Ciuitatem nostram iam pridem illustrauit, parem te probasses, militarem disciplinam ab optimis Ducibus Cerpelione, Brachio, & Sforcia, summo studio percepisti, & assidua in vario bellorum genere exercitatione ita excoluisti, vt Italia parem hodie tibi habeat neminem. quod Sapientissimus Senatus Venetus facile intellexit, & virtutem tuam admiratus, magno atq; excellenti prçmio a se quoq; honorandam iudicauit. Itaque quod tribuere maximum potuit, id tibi ultro detulit: exercitumq́;, & imperium suũ uirtuti ac fidei tuç cõmisit. quod non solum sanctissimç illi Reipublicç, sed vniuersç plane Italię felix, ac faustum fuit. Nam & consilij tui maturitate, & armorum splendore inuidas, atque insidiosas quorundam Principum cogitationes ita repressisti, ut nihil hodie, quàm pacem malint: & Saturnia ac plane aurea quædam per te nobis çtas sit restituta. Proinde in tanto totius Italię otio, cũ arcendis hostibus opus armis iam non esset, negotium Patriç vtilissimum tibi iniunxisti: ut ma

ximis tuis impendijs, & opere magnifico aquas ad agros irrigandos ex Serio flumine regio deriuandas curares. Itaque factum est, ut beneficio tuo longe maxima pars agri Bergomatis, antea squalens & prope sterilis, hodie sit aspectu iucunda, & cereali fruge fecunda: † Patriam nostram delectet simul & pascat. Itaque gratulor tibi Princeps optime pariter ac fortissime, quòd in proposito isto honestissimo, quamdiu materia corporis tui formam tenebit permansurus esse videaris. Nam etsi vsum breuis huius vitæ mors naturalis aliquando auferet, tantarum tamen virtutum fama aliam tibi longe diuturniorem vitam instaurabit. Viues enim quamdiu Serius fluet; quamdiu permanebunt in rerum natura latifundia illa, quæ maritandis virginibus, quæ pascendis ijs qui in carceribus sunt, quæ Sacerdotibus, & sacris Aedibus ornandis, ac seruandis, destinasti. Quam uero pulchrum illud, quam memoratu dignum, quòd eadem illa ingenij bonitate, qua cetera nouisti, illud quoque intellexisti, in Valle Transcheriana, Balnea saluti hominum commoda posse erigi; & oblatam tibi esse nouæ liberalitatis materiam vehementer es gauisus. Nam cum ad Cherium amnem, non procul ab Aede Diui Pancra-

*&

tij puteum, quem Salinam nuncupabāt, & prope hunc etiam manantis ex abdito ſpecu Aquæ riuum, *vtrumq; ſalſum ac ſulphurei odoris†reperiri audiuiſſes, iuſſiſti homines rerum naturalium peritos, & Medicos eruditos rem diligenter inſpicere. qui tum ex guſtu & colore, tum ex decoctione aperte intellexerunt eas Aquas Sulphuris, Nitri, ac Salis partes quaſdam trahere, & vim medicam aduerſus innumerabiles morbos habere; nec alijs Balneis ac Thermis, quæ in diuerſis Italiæ Regionibus viſuntur, concedere. Itaque ſacrum iſtud, & cæleſte donum ad tollendos morbos, & ſanitatem ſeruandam a Deo datum vniuerſorum commodis patere uoluiſti, magnificis & ad rem accommodatis ædificijs locum ornaſti; vt, & medelæ recte exhiberentur, & ægrotis illuc confluētibus hoſpitium commodum, & prope gratuitum aperiretur. Tuo igitur beneficio poſthac, & ægroti ſalubria hinc adiumenta ſentient; & Patria noſtra hac tam vtilium Balneorum dote fiet illuſtrior. Qua tua liberalitate ego quoque excitatus de ijs Aquis, quæ memoratu digna ſunt ſcripſi. ſic.n. ſperaui fore, vt, & tu liberalitatis tuæ alacriori animo poſſes meminiſſe; & Patria noſtra tā præclaro Dei munere, & magnificentiæ tuæ largitate

*illumque *uel* unumq; †*non habet impreßus* reperiri audiuiſſes;

tate

tate lętari, atque ad imitationem tui ita excitari, vt hæc Balnea per te erecta, perpetuo conseruanda, & celebranda curet. In hoc autem perbreui opere Aquarum ipsarum essentiam, vires, laudes, ac medicinas, vsumq́;, & vsus ipsius modum, ac tempus, fideliter ac breuiter explicabo. hoc vero totum, quidquid est, tibi dicatum volo, cui meipsum, & mea omnia iampridem dicaui, ac consecraui. Vale Patriæ præsidium, ac decus. Bergomi die penultimo Decembris M CD LXX.

Tabulæ seu Indicis Balneorum S. Pancratij Vallis Transcherij,

CAPVT PRIMVM.

Minera.

MINERA Balnei huius* putealis deprensa est per lambicationem tenere Sulphuris, Salis, & Nitri partem; * per odorem etiam, cum sulphureum habeat emanans; & insuper Argentum ipsum colore* Sulphuris tingit: cūq́; potata † ventrem soluat, ꝙ Salis partem teneat cognoscitur; & cum nomine* antiquo, puteus vnde hauritur, Salina nuncuparetur*. Nitrum quoque cum super lapides* labitur persæpe re-

*putealis uisa est
*uel putealis supradicti uisa est

* Sulphuris quidem, p odorem quē sulphureum habet emanās
* sulphureo tingēs, & epota uētrem soluit. ꝙ uero salis
†Aqua uentrem
*antiquo, Salina nuncupetur
* emanat

*dictas Aquas
*fluunt

peritur. Et necesse est *dictam Aquam Minerarum, super quas *fluit, virtutem detinere. A nullo præterea dubitandum, quin ad Mineram istam concurrat influẽtia, seu virtus Astrorum: cum in quolibet tẽpore uniformiter operetur, seruatis debitis circumstantijs ad hoc requisitis.

CAPVT SECVNDVM.

Vires.

†alij addũt.n.
*ualet
*Prodest
*depilationi
*Valet
*Amygdalæ
*neruorum

PRIMO† Aqua ista, prout inferius declarabitur, *prodest omnibus ægritudinibus frigidis, & phlegmaticis, & melancholicis, vt sunt, catarrhus in cerebro, paralysis oculorum & linguæ, & oris tortura; & similibus ægritudinibus in capite phlegmaticis. *Valet etiam melancholicis, impetiginosis, scabiosis, furfuribus, *defluuio capillorum, & omni defœdationi cutis, capitis, & faciei. *Confert etiam omnibus ægritudinibus frigidis gutturis, pectoris, & pulmonis, ut sunt *Tonsillæ tumefactæ, dolores colli, mollificatio linguæ, & neruorum gutturis; vt sunt etiã asthma, tussis phlegmatica, & maxime a phlegmate salso; vt sunt etiam oppilationes *venarum pulmonis, pectoris, & hectica. Valet ad ægritu-

tudines cordis; vt cardiaca, cordis tremor. Valet etiam ægritudinibus membrorum naturalium frigidis; ut ſunt humiditas ſtomachi, & eius ventoſitas. appetitum ſopitum incitat. ſitim remouet mendoſam. vomitum phlegmaticum curat, *eiusq; fluxum. os ſtomachi ab humore melancholico, & acetoſo mundificat. ægritudinibus inteſtinorum ſubuenit; ut ſunt colica ventoſa, phlegmatica, & fæcalis. Vermes interficit, ac *educit; & maxime aſcarides. Lubricitatem matricis, & oppilationes ipſius remouet: & doloribus ventoſis & frigidis ipſius matricis prodeſt. Aegritudinibus hæmorrhoidum confert, cęcas reſoluendo, & apertas conſolidando. Hepatis & ſplenis oppilationes, *icterum, & hydropem †aſcitem, & febres oppilatas curat. Arenulas in renibus, & veſica exſiſtẽtes; ſaniem & apoſtemata phlegmatica in eis exſiſtẽtia mundificat: excoriationibus etiam eorum confert. ardorem vrinæ remouet, †uel *mitigat. Dolores iuncturarum mitigat, & reſoluit. Paſſiones neruorum in toto corpore, vt eſt ſpaſmus, paralyſis, podagra, *iſchias, *& arthritis, remouet. Morbos ſubcutaneos ſalſos, & melancholicos precioſe mũdificat; vt ſunt lepra, impetigo, ſcabies, ſerpigo, ſaphati, & ſimiles ægritudines: a quibus

*atque

*exterius educis

*icteritiam

*aſciticam

†*non habẽt aliqui.*

*confert

*ſciatica

*& artetica

**uel* ſciaticas & arteticas

**uel* iſchiadicos & arteticos remouet morbos, ſubcutaneos aũt

*qb' ęgritudĩib' †in hoc xvj. annorũ ſpatio, quo in ipſis Balneis uerſatus ſum, & multis aſtiti ip̃as Aquas ſumẽtib' *& ad expulſionem

bus* plures vidi laudabiliter curari, & iuuari, † a xvj. annis citra, vſque in diem hodiernum. Balneum ex dicta Aqua morbos ſupraſcriptos ſimiliter maturat. *expulſiones præparat. nodoſitates iuncturarum, & contractiones neruorum mollificat. Si ex dicta Aqua fiat Gutta ſuper commiſſuras capitis ab alto cadens catarrhum exſiccat. Attracta etiam per nares eſcharas, & vlcera narium ſanat: ac earum oppilationes remouet. Lutum præterea emplaſtratum ſuper membra ſcabioſa, ſerpiginoſa, & leproſa mirabiliter ipſa mundificat: ac omnes deſœdationes cutis abſtergit. *Vniuerſaliter omnes morbos phlegmaticos, & melancholicos; interiores, & exteriores, Aqua iſta, & Lutum curant, *modum tenendo infraſcriptum.

*Vniuerſaliterq;

* ſi in ea ſumẽda mod' hic teneat. *forte meli' leg.* ſi in ijs ſumẽdis &c.

CAPVT TERTIVM.

Tempus congruum.

*p Balneorũ uſu

TEMPORA anni magis congrua* ad Balneorum vſum bene conſiderari debent. nam ſi tempore incongruo vterentur, pro iuuamento nocumentum ſuſciperent. ideo* aduertatur. Tempus itaque conueniens, ſecundum communem Medicorum ſcholam, eſt veris &

* obſeruetur tẽpus quod conueniens.

au-

autumni: cum aer* naturaliter sit his temporibus magis temperatus. Verum quia talia tempora, vt plurimum pluuijs abundant, quæ* habent virtutes Balneorum corrumpere, seu* refrangere;* ac etiam quia Balnea mineralia vt plurimum, & a prædominio materias humorales frigidas, viscosas, difficilis eductionis* curant icicirco, quia calore potenti corroborant: concludo, ꝙ tempora Maij, Iunij, Iulij, & Augusti, ad Balneorum vsum eligantur.

*naturali cursu
*uel ex naturali cursu
*solent. uel: possunt.
*confrangere
*ac præcipue eorum quæ mineralia,
*euacuant.

CAPVT QVARTVM.

Præparatio, & modus.

VOLENTES itaque per dicta Balnea curari, antequam ad* locum Balnei accedât, purgentur vniuersaliter a suis Physicis; deinde *se conferant ad Balneum, & ibi per diem quiescant. Mane vero sequenti in ortu Solis, vel parum ante,* colligant dictam Aquam in loco ipsius originis nitidam; & ipsam tepefaciant in vase vitreo; & bibant tres, uel quattuor cyathos dictæ Aquæ sic tepefactæ, quę sit quantitatis vnc. xxxvj. deinde ambulent per cameram ab aere frigido cooperti: & si non habent camerã, transeant per viam pannis calidis taliter cooper

*ea accedunt.
*transeant
*sumant

*illis
*ambulauerint
*&
*perfecerit

ti, quòd frigus eos non attingat, nec sudor+eis accedat. & cum spacio horę sic+perambulauerint,+siue dicta Aqua operationem+fecerit; siue nòn, iterum reassumant similem Aquæ quantitatem; & iterum ambulent per horam more supradicto; & iterum tertio eandem Aquæ quantitatem assumāt. & si ab hora primę assumtionis, vsq; ad horam sextam fecerit operationem per inferiora, tunc hora octaua, ab hora primę assumtionis Aquæ, prandeant. +Sinautem solum per vomitum, aut per vrinam eduxerit; aut nihil omnino eduxerit, quomodocunq; sit, fiat clystere ex dicta Aqua, oleo oliuæ, & sale: & operatione facta, hora supradicta prandeant. deinde facto prandio quiescant; +& non tamen dormiant aliquo pacto, nisi exsistente consuetudine, aut debilitate. tunc+assumto prandio, per duas horas pòst, per+mediam horam dormire liceat eleuato capite: sed melius est+a somno abstinere, sodalitates quęrendo, & delectabiles ludos,+sermones hilares & ornatos, eadem die non cenando.†quòd si hora cenæ stomachū senserit a prandio absolutum cum naturali appetitu, cenam leuem sumat, vt modicum panis in aqua carnis madefacti; vt duo oua sorbilia sine albumine; vt plures bolos panis in vino infu-

*Si uero

*& non dormiāt
*uel non tn̄ dormiant

* enim assumto
*dimidiam horā dormire potest, uel poterit
*dimittere dormitionem, societates
*loq̄las alacres &
† & alij

sos

ſos, cum pauca vini bibitione: & poſt comedat *Coriandrorum confectorum præparatorum quod ſufficiat. deinde Solis in occaſu *uadat dormitum. Sequenti autem die, per duas horas ab ortu Solis, *intrẽt Balneum dictæ Aquę *tepidũ vſque ad gulam; & ibi per horam, vel dimidiam *morentur, donec videant digitorum extremitatem corrugari. tunc *Balneum egrediantur, & lectum intrent; & ibi quieſcant, non dormiendo, donec ſudauerint: & tunc ſe pannis iubeant exſiccari. ſi vero non *ſudauerint, ſaltem ibi per horam quieſcant; deinde exſurgant, & per dimidiam horam quieſcant; & poſtea prandium ſumant. quo aſſumto, *iocis & honeſtis voluptatibus indulgeãt vſq; ad duas horas ante cenam: & iterum Balneum intrent, ſi fortis aderit virtus; & ſi debilis, ſufficit ſemel in die Balneum intrare: & proſequantur de Balneo, vt dictum eſt de introitu Balnei ante prandium. poſtea cenent hora debita: & ſimiliter vadant dormitum. & ſic perſeuerent *per ſingulos dies, quouſque viderint Aquam, ſicut biberint claram exire. nam tunc denotat purgationem perfectam: quod communiter erit vſque ad xx. dies, bibendo vna die; & altera, non: & die intermedia, Balneum intrando. Si autem quis videat ſe multam

*Coriandrum confectum qđ

*uadunt

*intret

*tepidæ

*permaneant

*Balneo

*ſudarent

*prandio gaudeant uſque

*dietim, *uel* quotidie

*xiij. Aquam posse bibere; non tamen transeat*xviij. vel xx. cyathos continentiæ xiiij. vnciarum, qualibet die: quia multa Aquæ assumtio aggrauat stomachum, ex quo a natura non regulatur; sed stomachum relaxat, & descendit sine humorũ eductione, & sine aliquo *cordis iuuamento. necesse enim est, si operari debet, quòd tempore debito moretur in stomacho. Tempus autem in purgatione, secundum Aquæ citam & tardam operationem, abbreuiari, & prolongari potest.

*corporis melius

CAPVT QVINTVM.

Solium, seu Balneum.

VOLENS autem solum balneari, & non bibere, facta purgatione medicinali, debet singulis diebus Balneum intrare; & si debilis fuerit, intret semel in die; si fortis, bis intret, scilicet mane & sero, per duas horas ante cibum, ordinem suprascriptum seruando, quousque sit liberatus.

CAPVT SEXTVM.

Stillicidium, seu Gutta.

PATIENTES autem catarrhum possunt sumere Guttã super caput secundum hunc modum. primo purgentur aut Aquam biben do, aut aliam medicinam sumendo: *facta purgatione debita *vadant ad Guttam Balnei; aut *præparent ipsam cum aliquo vase proportionato ad tale opus. & si vellent sumere super verticem, extendant se supine; & si super occiput, proni *in ventrem, & in faciem iaceant: & Guttam cadere faciant super locum lęsum ad minus per mediam horam. Sed quando accipiunt super partem occipitis, vngantur nares, & frons oleo rosaceo, aut epithimentur cum Aqua rosata, ad repercutiendum materiam, ne eo fluat. Et si sint fortis virtutis, possunt sumere per horam, & bis in die, *videlicet in mane, & per duas horas ante cenam. & debent similiter continuare per decem, vel duodecim dies; & plus, vel minus secundum iuuamentum quod percipitur. post Guttæ autem assumtionem quiescant per horam in loco *separato, cooperti ab aere frigido, humido, & ventoso; deinde comedant.

*& facta
*uadat
*præparet
*super uentrem
*scilicet
*temperato

& ſic+agant, donec ſenſerint ſe eſſe omnino liberatos.

*perſeuerẽt quo uſq; uiderint ſe liberatos.

CAPVT SEPTIMVM.

Lutum.

ET QVIA Lutum non minoris eſt virtutis, quàm Aqua, iccirco volentes vti ipſo Luto, oportet quòd prius purgentur, aut+pharmacum ſumendo, aut Aquam bibendo: poſtea Luto vtantur, in hunc modum. Accipiatur de pinguiori, & antiquiori Luto, quod cognoſcitur ex lenitate, mollitie, & leuitate: & exponat ſe infirmus Soli cum membro ægrotante diſcooperto; & ſuper membrum extendat Lutum+non multum groſſum, +nec multum ſubtile, mediocriter extendendo: &+dimittat exſiccari a Sole. & cum exſiccatum fuerit, habeat Aquam Balnei calidam, qua membrum lauetur, donec totum Lutum ceciderit: poſtea iterum Lutum+renouet ſuper membrum. & ſic faciat ad minus quater in die: ac ita perſeueret vſquequo ſenſerit ſe liberatum. euitet tamen ne calor Solis reſiduum corporis multum calefaciat, & inflammet; +quia poſſet eſſe cauſſa maioris ægritudinis inducendæ. +& hęc ſuf-

*medicinam
*nec
*non
*dimittatur
*renouetur
*quæ poſſent, uel quod poſſet
*& ſint hæc

ſufficiant, pro declaratione potus Aquæ, Balnei, & Luti.

CAPVT OCTAVVM.

Aer.

NVNC vero in regimine vitæ poſt receſſum a Balneo me extendo. Et quia vita per ſex rerum non naturalium regimen conſeruatur, icciręo modum earum declarabo. & primo de Aere. Aerem itaque inhabitent temperatum in caliditate, & frigiditate, declinantem parum ad ſiccitatem. debent præterea euitare Aerem nebuloſum, ventoſum, & maxime auſtrinum, humidum, & ſuperfluentem in qualitatibus primis.

CAPVT NONVM.

*Cibi. *De cibis ſumendis,

CIBENTVR pane frumenti bonæ terræ, & mundi a ſuperfluitatibus ſuis: ſitq; bene fermentatus, ac ordinate decoctus, temporis duorum vel trium dierum. euitent panem *Siliginis, Milij, & alterius generis; azymum, male coctum, & vetuſtum. Carnes ſint *Vituli, hœdi,

*Secales

*Vitulinæ

*annalis, *uel* anuualis

di, vel castrati*anniculi: & sint elixatæ. possunt etiã cibari carnib⁹ pullorum iuuenum, perdicũ, phasianorum, & merularum elixatis, vt supra. debent insuper euitare omnes carnes aquaticas, & antiquas, salsas, & assatas, quomodocũq;; ac omnia animalium interiora, præter hepata gallinarum. vtantur ferculo, vt panata, brodetto, pane infuso in aqua carnis, formentinis, farre, amygdalato, & oryza. Euitent omnia†holera, & fructus cuiuscunque generis; similiter omnia salsamenta,†acida, acria, ac multum dulcia. Tempus comestionis sit prandium, & cena hora sibi consueta; nihil aliud per diem comedendo,†aut bibendo. Vino vtãtur albo, claro, mediæ potentię, vel*aliquãtum debili; omne aliud euitando vinum, & cetera. minime autem tangant aquam dulcem, &†maxime in bibendo eam.†& hæc de cibo & potu satis sint.

*nocentia, ut holera

*acetosa, acuta, ac

*nec

*aliqualiter

*præcipue

*& de cibo & po su sufficiat.

CAPVT DECIMVM.

Repletio, & inanitio.

NON superflue se†repleant cibo,†& potu: sed moderate his vtantur, leuius tamen cenando. Euitent etiam superfluam inanitionem.

*impleant

*nec

di-

dimittant etiam euacuationes medicinales, nisi stante magna necessitate.

CAP. VNDECIMVM.

Motus, & quies.

MOTVS eorum sint ordinati, leuiter seipsos exercitando ante cibum per horam; quiescendo autem post ipsum. & si corpora remanerent sicca, fiat bis in hebdomada clystere, aut ex Aqua Balnei, oleo, & sale; aut ex aqua carnis, cassia fistula, oleo, & sale. +possunt etiam bibere aquam carnis ante cibum, utputa libram vnam, vel dimidiam.

*& possunt bibere

CAPVT DVODECIMVM.

Somnus, & Vigilia.

SOMNVS eorum sit naturalis, dormiendo in nocte vsque ad medias tertias, totisq; viribus somnum vitando diurnum; & superfluas vigilias, maxime noctis. dormiant insuper in locis eleuatis, vt in solario, aut in loco+ aliquantum a terra eleuato, non suffocato, nec humido; sed in qualitatibus temperato, aerem euitando frigidum, & multum calidum.

*aliqualiter

CA-

CAP. DECIMVMTERTIVM.

Affectus Animi.

LAETENTVR demum animo ſemper quærendo⁺iocos delectabiles,*ſonos ſuaues,&⁺ſermones hilares. euitentq; omnia animum⁺perturbantia;⁺vt melancholiam, iram, rixam, cogitationes, coitum, viſum & auditum perterrefacientium. Regimen autem hoc continuetur ad quadraginta⁺dies, a die dimiſſionis potus Aquæ.

*iocos *ſocios *loquelas ornatas *triſtantia, *uel* conturbátia *& *dies dimiſsióis

---

Hæc ſunt Bartholomæe Ducum inuictiſſime, quæ in ſpem gratiæ tuæ, & commoda generis humani, de Tranſcherianis Balneis diligenter quęſita, & explorata mihi per multos annos, memoriæ tradenda exiſtimaui; vt, & Medici rationem vtendi his Balneis a nobis longa experientia probatam ſequi; & ægroti optatam corporis ſanitatem recuperare poſſint. Tu velim Opuſculum hoc noſtrum, qualecunque eſt, alacri animo ſuſcipias, & Clientem tuum Zimaliam tibi deditiſſimum, ſi mereri videbitur, diligas. Vale. penultimo Decembris. Anno Domini M CD LXX. Bergomo.

FRAGMENTVM GVIDONI MEDICO BERG. TRIBVTVM,

ex vetere libro manuſcripto ad verbum deſumtum.

De Balneo Tranſcheryj ſecundum quendam ex iunioribus Medicis.



HOC Balneum eſt in agri Bergomatis *valle, apud Monaſteriũ quarundam Monacharum ibidem habitantium, vbi dicitur Salina: cuius Aqua ſimpliciter accepta abſque dulcis Aquæ permiſtione conformis eſt, & ſymbola Aquæ Porretanæ; quaſiq́; in nullo differt. Nitroſa enim eſt, atque ſulphurea, lapillos in ea conſiſtentes albos oſtendens, ac ſulphureos, atque aluminoſos: & eſt odore, ſapore, atque claritate in omnibus eidem conſimilis; parumq́; calida, ſicut illa. Huius princeps virtus, & facultas eſt infectionibus cutaneis, ex hepatis vitio procedentibus ſubuenire. Homines enim, & canes, ceteraq́; bruta ſcabie, impetigine, ſerpigine, tinea, alopecia, &, vt vulgo dicunt, ſticia detentos, *repetita lotione, *præmiſ-

*comitatu

*ſui iterata
*præhabitis

ſis purgationibus (ſaltem in hominibus) mirabiliter, ex toto emendat, &+curat. Secunda eius vis+naturalium partium, & nutritioni ſeruientium aperit vias, & nephiticorum meatus dilatat. Tertia eius vis, quòd bibita prius calefacta, viſcera potenter expurgat. ſed hic magna circa +viuendi rationem neceſſaria fuerit diligentia. quoniam ferme in ipſo Balneo vidi pridẽ nonnullos in hydrope vel aſcite cõfirmatos ad mortem adduci; & quoſdam ex continuato eius potu abſque viuendi doctrina cachecticos fieri, & demum interire: ſicuti Sacerdotem quẽdam nobilem ibidem Capellanum ex frequenti eius potu deficere conſpexi, multiplicatis tamen primo erroribus. Et Medicus quidam Brixienſis, non ignarus, ſemper tamen neuter, & gibboſus, eius quidem experientiam cum vtilitate diebus ſuis frequenter eſt adeptus.

*corrigit.

*nutritiuorum

*diætam

Guid. Fragmen. finis.

IO. BAPTISTAE SVARDI BERG.

*Tractatus DE BALNEIS VALLIS *Transcherij.*

*Trifcurij

Situs, & restauratio Balneorum.

Cap. I.



BALNEA Vallis *Transcherij in agro Bergomati distant ab Vrbe decem millia passuum Orietem versus. Ea iam vetustate pene collapsa, longe melius, ac sublimius, quam antea fuissent per Ill. ac potentem Bartholomæum Coleonum Capitaneum Generalem Serenissimi Dominij Venetorum, ac Ciuem Bergomi Magnificentissimum, rursus instaurata sunt, anno Dominicæ Natiuitatis millesimo quadringentesimo septuagesimo.

Condiciones, & ortus Aquæ.

Cap. II.

AQVA ipsa *tactu frigida est, visu clara, sapore non molesto, vel abhominabili. Ori- *acta

tur sub terra plusquam brachia decem. Continet eam Puteus viuis lapidibus diligentissime constructus, ne Aqua alia dulcis, quæ circumquaque, aut scatet, aut [+] defluit, commisceatur. Ex illo Puteo vel manu hominum, vel rapido rotę cursu, quam perennis fons ibidem nascens, circumagit, Aqua ipsa hauritur: hausta in ahenum præparatum decurrit; ibiq; igni supposito, quoad satis est, calefit; calefactaq; diffunditur, mittiturque certis riuulis ad loca quattuor commode ad [+] sedendum, ac lauandum præparata.

[+] depluit,

[+] sudandum

Natura, seu Minera Aquæ.

Cap. III.

MINERA Aquæ sulphurea est. Conijcitur id ex eo ꝙ propius accedenti odor Sulphuris maxime insurgat: quodq; si Argentum in Aqua ponatur, amisso pristino candore, illud statim rubiginosum redditur. Est etiam Aqua nitrosa, seu baurachia: nam Aues, & Quadrupedes præsertim tempore verno eam libentissime potant, ob saporem [+] Salis. vsque adeo enim salsa est, vt, si bulliat donec consumantur tres partes, Aqua ipsa pre nimia Salis mordacitate,

[+] Salis nitri.

in ore contineri minime poſſit. Inde fit merito nitroſitatis⁺ſolutiua, prout etiam ex operationibus, & effectibus illius perſpicue cognoſcitur. Etenim Priſci Medici determinant de effectibus cuiuſcũq; Mineræ, præſertim Auicenna lib.j.Fen ſecunda, Doctrina ſecunda, Cap.decimonono, Summæ primæ: vbi lucide, & clare tractat operationes Aquæ ſulphureæ, & nitroſæ, cuiuſmodi hæc eſt. *pungitiua, & reſolutiua.

Operatio Aquæ.

Cap. IIII.

AQVA hæc, quantopere mirabilis ſit & efficax, quotidiana docet experientia. valet enim ad curandas plures ægritudines, quam faciat Aqua⁺Porretina: nec tanti eſt periculi, aut metus, ſi forte in vſu ipſius, & vitæ regimine negligentius te habeas. Operatur autem in corpore humano quinque modis, Potu, Balneo, receptione Guttæ, Clyſterizatione, & Linitione Luti, prout membra affecta ſint, & morborum cura exigat. *Porretana.

Medicina, & Virtus Aquæ.

Cap. V.

*& VSVS huius Aquæ curat dolorem capitis, *etiam antiquum, siue per essentiam, siue per colligantiam aliorum membrorum, præcipue autem stomachi, & matricis: ac capitis humiditates superfluas exsiccat: cerebrumq; debilitatum confortat. Paralysi, spasmo, *tetano, tremori membrorum, neruorumq; *debilitati valde confert. Oculorum *defectui subuenit. Tinnitum, & sibilum aurium, & surditatem non antiquam curat: antiquæ vero non parum prodest. Stricturam narium, seu coryzam ex catarrho curat. At catarrho cuiusque condicionis valde prodest. Debiliter olfacientibus subuenit. narium fœtorem curat. Humiditatem linguæ consumit. Raucedinem vocis ex humiditatibus clarificat. Vuulam prolongatam, alcola, vlcera oris, & gingiuarum curat: orisq; fœtorem remouet. Difficultati anhelitus, & asthmati valde confert, & curat, si non sint antiquæ. Tussim curat, si nō ex phthisi est, & *vulnere pulmonis. Debilitati stomachi mire subuenit. appetitum perditum recuperat. sitim extinguit. vomitum curat: ipsumq; stomachum ab omnibus

*Delendum tetano,
*debilitati omni
*affectui
*vlcere

su-

ſuperfluis humoribus, & a comeſtis, quæ digeri non poſſunt, purgat. *Duritiam ſtomachi, & ſplenis tollit. oppilationes hepatis, ſtomachi, ſplenis, *menſtruorum, & aliorum membrorũ tollit. Curat etiam Ictericiam hepaticam, & ſpleneticam: ad oppilatosq; ſumma eſt medicina; & ad hydropicos: clarumq; ac bonum *colorem efficit. Inteſtina mundificat; a ſuperfluitatibusque purgat quibuſcumque: vermes expellit; & alia animalia quacunque de cauſſa in eis exſiſtentia. quare dolorem colicum, & iliorum curat. Arenam ex renibus excludit: renesq; mundificat: & eorum debilitati confert. Veſicam mundat: & lapidem in ea non confirmatum rumpit, & expellit. Ardorem vrinæ curat magnifice: & frequentem mictum tollit. non valẽtibus etiam vrinam retinere ſubuenit: nam mirabiles effectus in paſſionibus renum, & veſicæ operatur, & in breui tempore, cuiuſcunque ætatis, & condicionis exſiſtant, vti longo tempore expertus ſum; & præſertim a duobus menſibus citra. Matricem purgat: fluxum materierum albarum *curat. oppilatas matrices deoppilat: & mulieres ad conceptum præparat mirabiliter. Dolori dorſi, ancharum, *ſciaticæ, podagræ, ac chiragræ confert valde. Non

*Duritiem

*meſaraicarum,

*odorem

*& rubrarum curat.

*iſchiadi,

va-

valentibus ſe mouere propter neruórum debilitatem, etiam ex vulneribus, & contuſionibus, mire opitulatur. Tineam curat, aſafati, & puſtulas corporis, ſcabiem, pruritum, impetiginem, ſerpiginem, vlcera maligna, & crura marcida, & inflata. Compluries inſuper leproſos curauit, ac de præſenti curat. Debiles fortificat. Extenuatos, & macilentos impinguat. Febribuſq́ue antiquis, & humoralibus ſubuenit: Diuino ſemper accedente Numine, & auxilio. Amen.

Reliqua interciderunt.

ANDREAE BACCII ELPIDIANI

Opere

De Balneis Lib. V. Cap. IV.

excerpta.

Aqua Trescuriana sub Bergomo.



SVB Bergomo decem mill. pass. erat Puteus quidam, qui ex antiquo (vt cernitur) Salis conficiendi vsu, Salina dicebatur. *Salina puteus.* Quam tamen seu prauo Sulphuris odore destitutam, seu qualibet (vt vsu euenit) temporum iniuria, siue hominum inscitia disiectam, iam auorum memoria sumtibus Bartholomæi Coleoni, Reipublicæ Venetæ militis ea ætate famosissimi, in balnearum, ac potuum medicatorum vsum receperunt, idoneisque ad hæc ministeria domibus instaurarunt. Mineram varijs experimentis *Minera.* inuenerunt a prædominio salsam, ac nitrosam, & quæ ab occultis eius terreni misturis, non mediocrem sulphuris habeat partem; nec minus *Vsus.* vsu, nam aliarum id genus laxatiuarum aqua-

rum more exhibitę, per aluum nonnullis, & per vrinas, interdum per vomitum operãtur. nec desunt qui se alternis diebus in tepidos immergant fontes, ad sudationes ciendas: quos ad communia instituta nostra remittimus. Ceterum has etiam Aquas vsu duciæ accipiunt, nec non in lutamentis; cum tanta in singulis vtilitate, vt balneis Aponi non sint postponendæ: nisi tantum ausus sit in gratiam patrię addere Ludouicus Zimalia medicus Bergomensis, à quo hęc accepimus. Nutricionis membra omnia iuuant abstergendo, ac siccando, inęqualia, & tam frigida, quàm calida faciendo æqualia. Flatus discutiunt, & frigidos intestinarum mucores. colicæ, iliacæ, vteriq́ue tumefactionibus benefaciunt. Vrinarias omnes passiones, & calculos, & difficultatem vrinæ, & ardorem sanant. Sitim mendosam corrigunt, hydropem, obstructa viscerum, ac pectoris, & asthmata digerunt. In Solijs iuuant podagricos, atque arthriticos. Sub ducia autem faciunt aduersus catarrhales dispositiones, tàm quæ in capite hærent, surditas, tinnitus, stupor, dolor; quàm quæ ad infernas partes communicantur, spasmus, resolutio, tremor. Qui verò inueteratas, durasq́ue in articulis defluxiones sustinent,

Operationes.

nent,

nent, salutari admodum horum fontium cæno illutari solent. Scabiei, pruritui, ac omni subcutaneorum vitiorum generi medentur. Tota æstate eliguntur, etiam sub Sirio, cùm ob regionis iuxtà Alpes algorem, tùm ob remissam naturaliter harum aquarum caliditatem. Electio

---

Finis.